



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

cap. 4. An spontanea trium facultatum interiorum in Oratione Incantatio,
nomine Obtutûs fixi cohonestari possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

Caput IV.

An spontanea trium facultatum interiorum in Oratione Incantatio, nomine Obtutus fixi cohonestari possit?

I.

Pulchrum vocabulum puchræ instar vestis est, quæ indicio est, Personam eâ ornatam magnæ dignationis esse: atque ita fit, ut non semel longè, quàm illi debeatur, major honor, observantia & respectus tali Personæ habeatur, sicut satelles Totilæ, regio amictus habitu, Rex fuit existimatus.

Vellem equidem non idem accideret hodie certo Vocabulo, ad supremum fastigium in Oratione promotum: & est hoc ipsum Obtutus fixi. Audio enim mihi dici, Obtutum hunc plus valere, quàm valeant omnia sensa nobilissima, quæ mens unquam in Oratione possit producere, quàm omnes affectus, omnes adorationes, omnes laudes, omnia obsequia, omnes obsecrationes, omnes gratiarum actiones, quæ ipsius loco exhiberi DEO possint, imò quòd multis parasangis actus hos omnes superet.

Quid igitur, per DEUM, rei est Obtutus iste fixus, quocum non solùm stare in Oratione debeo; sed eandem inchoare, prosequi, & finire? Fateor hebetudinem meam; quantumcunque legam, & relegam, naturam tamen ejus intelligere non possum. Si enim per obtutum fixum aliud non intelligitur, quàm ut homo destinata voluntate absteat ab animo ad ullam cogitationem applicando, quamlibet cætera piam ac sanctam, absteat ab omni doctrina, omni ratiocinatione, ab omni motu, qui devotionem in

ipso excitet, hoc non est aliud, quàm suadere Incantationem trium facultatum interiorum, quam S. Tereſia paſſim tanto ardore damnavit. Quodſi hoc inculcetur, ut homo non penitus ferietur, ſed mentem applicet; non applicet tamen, niſi ad actum quendam vivæ Fidei, quo DEUM præſentem conſideret, reſpondeo, actum ejusmodi verè eſſe actum & utilitatis, & virtutis ſingularis. Sed ſi hic ſufficeret ad aſſequendam Orationem quietis, felices nos! Credere omnis Orationis principium eſt: *Credere oportet accedentem ad DEUM.* Sed à prima porta atrij interioris uſque ad ultimam, quæ in Templum ipſum ducebat, affirmat Ezechiel, in menſuris hiſ ac diſtantiis metiendis accuratiſſimus, quòd quacunquẽ ex parte menſuram aggreſſus eſt, ab Ortu, ab Occaſu, ab Aquilone, ab Austro, ſemper ſpatium inter portas medium centum cubitorum deprehenderit: *Meſuſ eſt à porta uſque ad portam centum cubitos.* Prò quantum, ultra actum Fidei, requiritur in hominibus etiam Sanctis ad aſſequendam Orationem Quietis! Poſſunt illi poſt talem actum vires præterea omnes impendere in affectibus pudoris & erubeſcentiæ, in actibus compunctiõnis, & licet cum hiſ orent præclare, non tamen orant cum perfectione & excellentia ipſiſ tantâ facilitate promiſſâ. Quid fiet igitur, ſi certo conſilio etiam ab hiſ actibus otientur, eo prætextu, quòd unum DEUM velint ſinere operari? Quando DEUS loquitur, omnes comuni conſenſu docent mox ſiſtendum Orationis curſum, ut in ſilentio audiatur, quid ipſe dicat, ſigendũque in ipſo obtutũ non firmum tantũ, ſed & magnitudine ejus quodammodo attonitum: *Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS.* Donec autem DEUS loquatur, non debemus ſanè nos illi obſtrepere inſuſſâ, & importuna garrulitate;

Heb. 11.
v. 6.

Ezech. 4.

Pſal. 48.
v. 8.

tate; sed neque debemus rusticâ & cruda inurbanitate muti adstare, & nolle loqui, quia ipse non loquitur: hinc verum quidem est, quod S. David Rex dixerit: *Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS*; sed non dixit, nisi postquam in Psalmo pluribus jam verbis ipse DEUM erat allocutus, rogaveratque infimis precibus, ut desideratum Messiam in Mundum mitteret. Nunc exposita petitione, audiam quid Dominus respondeat, ut id ipsum ceteris manifestem. Sic locum hunc exponit Doctissimus Bellarminus.

Quid ergo, per DEUM, sibi vult hic obtutus fixus, quo solo contentos nos esse oportet, cum Orationi nos damus, si Orationem Quietis assequi optamus?

Ad me quod attinet, non video quid aliud dicere possim, quàm quod sit quidam conatus incantandi semetipsum, contra id quod monebat S. Teresa.

Atque hæc, si Quies erit, non erit nisi Quies illa negativa, quæ capta per intervalla, vocatur Vacatio, seu Cessatio à labore: quando tamen illi plus æquo indulgetur, nominibus haud paulo magis convenientibus vocatur pigritia, somniculositas, non curantia: non est autem illa Quies positiva, in qua acquiescit anima, quæ eam explet & exatiat, facitque beatam, sicut res quælibet est in suo centro. Et hæc est, vera Oratio Quietis. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Psal. 16. v. 27.

II.

Meliùs explicari non potest ista Veritas, quàm afferendo communem definitionem Contemplationis Mysticæ, De Scala à S. Bernardo traditam. Sic autem respondet iste, quæren-

H 3

ti quid

ri quid sit Contemplatio Mystica? *Est mentis in DEUM suspensa elevatio, aeterna dulcedinis gaudia degustans.*

Non est igitur Contemplatio pura mentis in DEUM
 S. Damasc. ascensio: hæc enim Orationi cuiuslibet communis est; *Oratio*
 l. 2. de Fide *est ascensio mentis in DEUM*; Sed est Elevatio; Elevatio au-
 6. 8. tem naturæ viribus non fit, sed divinis; qualem in Bapti-
 smo accipit aqua ad gratiam producendam. Ad hanc au-
 tem Elevationem quid requiritur? ut mens se ipsam suspen-
 dere conetur? minimè id quidem, sed ut expectet donec
 suspendatur; & idcirco non dicitur, quòd sit Elevatio
 mentis se ipsam *suspendentis*, sed in DEUM *suspensa*. Co-
 netur mens suspendere se ipsam quantum libet suo illo ob-
 tutu fixo; laborabit quidem, sed non ideo gustabit cali-
 delicias.

Et quod hoc ita fit, fingamus Theatrum quoddam pul-
 cherrimum erectum esse, in quo, ut solet, occultis lumi-
 nibus, objiciatur spectantibus mirabilis illa gloria cælestis;
 sed ita ut obducto sipario tota Theatri facies ab imo ad
 summum velata maneat. Ubi siparium sensim demitti cæ-
 perit, o quàm statim omnium illuc oculi convertuntur!
 Populus, ante tumultuans & inquietus, repente obtice-
 scit: & quò siparium reducitur ampliùs, tantò ampliùs ac-
 quiescit populus, eoque ut denique sipario penitus remo-
 to, non oculos solùm in scenam defigat avidissimè, sed in
 eo sit totà vi Phantasiæ, tota vi Intellectus, omniumque
 quos in corde habet spirituum, tam profundè fixæque, ut
 Populus quidem, sed statuarum esse videatur. In ejusmo-
 di autem spectatorum potestate non est, ut siparium, cum
 illis lubet, reducatur; sed hoc à Principe pendet.

Cogitemus igitur, hoc non obstante illos in cortinam
 seu siparium sic oculos defixos tenere, perinde acsi redu-
 ctum

Etum esset, an aliquid eâ re proficiat? Haud sanè. In-
cusabit populus moram, & mordebit labra, quis ambigat?
non tamen obtutu desiderato se oblectabit.

An non igitur, si istud accidat, nihil aget rectiùs,
ut Spectaculo amcenissimo fruatur, quo nondum gaudet,
quàm si cogitare secum occipiat, quomodo se habeant Lu-
di, quos dare parat tantus Monarcha, rimetur, investiget,
speculetur, atque ita pro modo suo illis oblectetur, nixus
tamen credulitate viva, quæ ipsi proponat, quòd quan-
tumcunque de tali spectaculo cogitet, infinitis tamen pa-
rasangis minus futurum sit illo, quod re ipsa est.

Ita res se nostræ habent. DEUS obduxit siparium,
quo nostro obtutui eripiatur penitus cælestis gloria, non il-
la adumbrata tantùm, sed vera. Si ipsi placuerit siparium
amovere, salva res est: pluribus enim opus non est, ut se-
quatur obtutus fixus trium facultatum interiorum, quæ
Populum repræsentant. Sed si siparium DEUS amovere
non vult, quid agemus? an figendo obtutum in cortinam
efficiemus ut illa reducat? Nihil minùs. Eam enim re-
ducere non donum tantùm est, sed donum planè penitùs-
que gratuitum; quod tamen lege ordinaria sæpius ille ac-
cipit, qui se illo magis indignum agnoscit. Quantò igitur
melius est, ut tunc facultates nostræ se occupent in co-
gitando, quantum demum bonum illa gloria esse debeat?
Hic est obtutus, quem nemo non figere debet, & solus
ille aliquid conferre potest ad hoc, ut tantò citiùs siparium
reducat. Ille autem obtutus, qui remoto sipario con-

sequitur, non multum, ut arbitror, curandus est,

nisi tunc cùm re ipsa illum DEUS

donat.

III. Dc-

III.

Serm. 24.
in Cant.

DUbi tamen est inter Sanctos, utrum donum Contemplationis Mysticæ à DEO petere, ad illud aspirare, perfectius sit; an verò oppositum? Variæ sunt ea de re opiniones. Mihi, si, quid sentiam in hac controversia, aperire fas est, censeo quòd, sicut demissionis studio potest non appeti, ita à nonnullis non appetit antum, sed & precibus flagitari possit, dummodo hoc facere nòrint nulla demissionis jacturâ. Sincera tamen demissio hoc semper exigit, ut homo in omnibus donis, quæ ad nos Sanctos reddendos necessaria non sunt, quantum in se est, refugiat potiùs, quàm sese intrudat, sicut ipsa adèò DEI Mater fecit, quando ad dignitatem Matris DEI se destinata inauduit. *Oportet humiliter sentire de se nitentem ad altiora*, sic ad rem nostram jam olim S. Bernardus pronuntiavit, *ne dum supra se extollitur, cadat à se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus*. Quomodo autem demissionem tam solidam in se supponere potest, qui deliberatâ voluntate non vult re aliâ uti in Oratione, quàm Obtutu fixo, qualis consequi solet cùm siparium Theatri reducit? perinde ac si misellus ea ratione experiri tantisper velit, an efficere possit, ut reducat aut miseratione erga ipsum, aut per modum præmij. O quàm facile tum est, ut citiùs etiam quàm velit reducat cortina! sed à quo? ab Angelis? ita fanè ab his, sed illis duntaxat, qui se è tenebricosis transformant in Angelos lucis.

Quid juvat igitur ad Orationem conferre se cum obtutu fixo, etsi sit Obtutus Fidei, cùm satiùs esset, loco talis obtutùs, dare operam multis piis considerationibus, quæ multum conferant aut ad emendationem morum, & vitiorum, aut ad profectum proprium, aut ad augmentum
perfe-

perfectiōnis, aut etiam ad intimam cum DEO conjunctiōnem? Elationem animi, meo quidem iudicio, sapit, dicere cum non nemine, quòd *Contemplativus non velit cognoscere suã cognitione, sed quòd velit cognoscere cognitione DEI.* Non videtur hoc mihi dictum ad amissim humilitatis, cum, etsi fieri hoc posset, ne quidem ad hoc anhelare deberet, ne dicam tantum præsumere.

Hoc non est velle operari cum DEO: est velle ut DEUS solus operetur in nobis. Hoc tamen nemo unquam prætendat, clamat Mellissius, *Cooperatores enim DEI sumus, dicit Apostolus.* In Scal. elauitr.

Veniat igitur huc, veniat Obtutus ejusmodi fixus tot laudibus celebratus; dicam ego illi, quod olim S. Benedictus illi Totilæ satelliti: *Depone fili, depone quod geris; nam tuum non est.* Quid dissimulamus? Ille Obtutus fixus in Oratione verè Paludamentum est regium, sed non competit illi Obtutui, quem nos nostris viribus in DEUM figere possumus. Obtutus hic simplex est, communis multis in Meditatione, etiam rudissima; nec cum illo aliquid habet, quem figimus in DEUM, cum sine velamine ille se nobis videndum exhibet. Et hic est obtutus ille tam sublimis, qui ad cælum usque laudibus effertur, qui tantum valet, quantum sensa omnia nobilissima, quæ unquam concipere mens possit: qui ut amore plenus est, ita tantundem valet ac affectus omnes, omnes adorationes, omnes laudes, omnia obsequia, omnes obsecrationes, omnes gratiarum actiones. Ille quem nostris viribus efficere conamur, valet equidem, valet aliquid; sed nonnunquam tam parum, ut sub velamine tam pulchro Obtutus fixi, lateat turpis ille, quem dixi, sensus, quod nos in Oratione nolumus operari, sed velimus ut DEUS pro nobis otiosis operetur.

retur. Atque hinc, si multum non fallor, optima S. Teresia toties, quasi brachiorum nisu, clavum istum figere & firmare conata est, ne in Oratione attollere nos velimus, nisi fuerimus in altum elati. Noverat enim optimè præclara hæc Magistra, lumine illo quo illustrata à DEO erat, quanti hæc doctrina momenti esset.

IV.

NON defuit tamen, quis crederet? qui subtili artificio id ageret, ut tantæ Magistræ auctoritatem elevaret; & idcirco qui tam sollicitè conatur in libello aliquo persuadere oraturis, ut satis habeant in oratione habere simplicem obtutum stabilem, quam virtute Fidei ipsa in DEO figat, ut hujus ope orationem quietis consequantur; providit apertè bellum manifestum, quo ipsum impugnatura erat Magistra tam sancta, tantæque in hoc genere æstimationis; etsi enim obtutus ejusmodi non sit suspensio perfecta facultatum (satis enim constat non posse hominem sic omnes earum operationes suspendere, nisi ad somnum sese componat) est tamen continuata actuum cessatio, quæ tantùm non æquivalet illi suspensioni. Hoc autem posito quid egit Lynceus iste scriptor, ut contra talem adversariam se obarmaret? Destinato consilio tulit sententiam, & judicium de illius Sanctæ operibus; & cum illa generatim ad cælum usque, ut merentur, extulisset; subinde definivit, quòd sicut Sancta in iis scribendis non nimis sollicita fuit, ut res propositas ordine tractaret, sed eas implicatas & cumulas proposuit non sine multis digressionibus etiam longissimis, quibus excurreret ad Zelum suum exerendum, sic in iis exprimendis non semper
 affecura

affecuta sit, ut id quod dicere volebat, distinctè exprimeret, sed contenta esset res proposuisse meliore modo quo poterat: atque hoc non sine profundo divinæ Providentiæ consilio: cum enim DEUS communicasset Sanctæ doctrinæ solidas, sublimes, & humana imbecillitate, ad eas exprimendas, superiores, noluit, ut nimis minuta accuratio, in scribendo illi collata, dubium faceret, an à femina talia proficisci opera potuerint.

Laudes DEO, quòd tandem hoc nostro seculo inventus aliquis est, cui DEUS contulerit gratiam explicandi res solidas, sublimes, & humana ad res dilucidandas facultate superiores, felicitate tanto majore, quàm illa fuit, quâ sponsam sibi tam caram dignatus est.

S. Teresia conceptus suos & notitias clarè proponere ac distinctè non potuit: agnosco me vilissimum terræ vermiculum, cui vox nulla est: qualem tamen cunque habeo, omnem illam colligam, & deinde clamabo, ut Christianus me Orbis quaquaversum exaudiat; Falsum hoc est, falsum. Quin imò ego paratus sum propugnare, Sanctam hanc, siquam habuit in scribendo excellentiam & jus prærogativum, hoc præcipuè fuisse, res propositas dilucidè explicandi. Scio equidem, luscum, qualem me non nego, de coloribus, quibus telas suas manus tam artifex tinxit, nunquam rectè posse judicare. Dico tamen, pro diuturno illo studio, quo in id solerter incubui, ut discerem animi mei sensa, quantum fieri poterat, calamo exprimere; S. Teresiam eam esse, quæ istâ eadem in re ruborem excutere possit omni superbè se efferenti; dummodo stulta de se præsumptio mentem illi omnem non excusserit: tam vivida in iis omnia, tam propria, comparationes tam aptæ, tam perfecta adjunctorum omnium, quæ rem, de qua agit,

circumstant, comprehensio: quæ ipsa causa est cur ejus doctrinæ ad incudem vocatæ tam solidæ inveniantur, nec vel summus Scholarum rigor reprehendere in iis quidquam possit.

Quomodo igitur invenire erit aliquem, qui ad propugnandam voluntariam ab agendo in Oratione cessationem, non vereatur dicere, Sanctam Magistram non potuisse in præsentis argumento mentem suam exprimere? Expressit enimvero plus quàm clarè ac distinctè, non ita tamen, ut hæc ejus claritas lucem etiam iis afferret, quibus non est propositum ejus doctrinam hac etiam in quæstione sequi, sed satis habent apparentem saltem aliquam ejus reverentiam præferre.

Femina erat, sic est: eo tamen non obstante contulit in illam DEUS donum tam prodigiosum mentem suam explicandi (etsi ipsa dicat, se id non semper paucis præstare potuisse) ut appareret feminam scripsisse, DEUM tamen ipsum feminæ voces dictasse. Quod si nonnunquam digreditur (quod nemo non in itinere difficili etiam de industria facit) nunquam tamen non in semitam prudenter valde regreditur. Ideo explicari non potest, quantopere ego obstupescam, quòd non desit, qui, ad persuadendam Mundo doctrinam non solum, si momentis res suis libretur, pugnantem cum sensis talis Sanctæ, sed omnium etiam qui ante ipsam hoc argumentum tractarunt, tentet tam præclara opera non sine considerabili exceptione laudare.

V.

ET quid aliud, ad nostram usque ætatem, inculcârunt, quotquot de Oratione tractârunt, nisi, ne quis sua optione

prione priora subsellia ambiat? Innumerabiles sunt qui ad hoc adstruendum afferunt ipsum adeò præceptum, quod Servator noster tulit: *Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco.* Nec minore numero illi sunt, qui vehementer improbant, si quis confestim in Oratione profilire velit ad osculum faciei. Principiò multò satiùs est semet ad pedes abjicere, & illorum osculo esse contentum. *Pedibus Christi oscula casta figamus,* ajebat S. Paulinus, *ut mereamur à pedibus in caput surgere.*

Matth. 4.
v. 8.

Ep. 4. ad
Sever.

Cui ejusmodi effata Sanctorum non sufficiunt, Albertum Magnum audiat pulcherrimè differentem, nobisque demonstrantem, quàm proprium sit de se demissè sentientium, existimare se indignos omnibus divinis favoribus, antequam illos accipiant, & postquam acceperint, expavescere. *Argumentum verae humilitatis est, cum in tantum se homo dejicit, quòd omni gratià se indignum sentit, nec audet etiam aliquam gratiam appetere; Et si præterea à DEO super se ipsum absque suo desiderio effluerit, cum timore percipit, immo laudabilius judicat carere DEI gratià, quàm habere gratiam DEI, quam toties diversis modis demeruit, quam toties diversimodè deturpavit, quàm nunquam secundùm ordinationem DEI fruebatur.* Sic scripsit Albertus calamo non inferiore illa mente, quæ Magni nomen promereri potuit.

Parad. an.
c. 2.


An autem præceptis ejusmodi obtemperant, qui mox sub orationis initium volunt defigere obtutum suum in DEUM purum purissimum, & sic illius tempus transigere, ut lumen habeant omni nostra capacitate & aptitudine superius? Mihi quidem istud haud quaquam viderur. Quod si progredienti in Oratione DEUS voluerit suspendere usum omnium facultatum, concedendo lumen quoddam admi-

I ;

rabile,

rabile, eja, faceſſat ſanè, dicam etiam ego cum S. Tereſia,
 Vitz. c. 22. faceſſat, bona mea pace, omnis non tantum imago, omnis
 non ſolum ratiocinatio, omnis non ſolum affectus, elici-
 tus modo naturæ noſtræ reſpondente, ſed ipſa adeo præ-
 ſentia Chriſti JESU, quâ priùs fruebar; ejus enim tunc ja-
 cturam facio, ut meliori illam modo lucrifaciam. Ante-
 quam tamen DEUS me ſuſpendat, non ita fit. Eſt enim
 hoc aliud non foret, quàm tenuis pulviſculus ſuperbiæ;
 hic ipſe tamen pulviſculus eſt oculos ipſos fugiat, repetam
 cum eadem Sancta, plurimum tamen damni affert ipſi Con-
 templationi, quæ deſideratur. *Ec quis erit ſuperbus ille,*
qui eſt laboraverit per omne vita ſua tempus omni genere aſpe-
ritatum, perſecutionum, orationum, quas vel cogitare poſſi-
mus, non ſatis ſibi præmij obtigiffe exiſtimet; ſi conceſſerit ille
DEUS, ut ad pedem Crucis cum Joanne illi ſtare liceat? Ita
 loquebatur Sancta, ſatis, nî fallor, magnâ animi ſui ſenſa
 exprimendi facultate. Atque ita optem & ego id dicere
 poſſe, ſi non eâdem facultate, quod parum intereſt, eodem
 Pfal. 103. certè ſpiritu: *Montes excelsi cervis; petra refugium heri-*
 v. 18. *nacis.*

Et idcirco concludamus, quòd multo meliùs ſit Ora-
 tionis initio hiſtriciſtæ inſtar indigni comparere, intra latibu-
 lum ſe recipere, aut vulnere Chriſti, aut aliarum conſi-
 derationum magis vulgariũ & uſitatarum, quàm repente
 Cervum velle imitari, & ad Montes procurrere; niſi ta-
 men ipſe nos DEUS noſtris illis è latebris evocet, ut, quoad
 ejus poteſt, nos dignetur clara ſui cognitione altif-
 ſimo genere Contemplationis.



Caput V.